

A **DIVI AVRE**

LII AVGVSTINI HIP-
ponensis Episcopi, liber De verbis
domini saluatoris.

Ex Bibliotheca Saulte

DE VERBIS DOMINI IN
EVANGELIO SECVN-
DVM MATHHEVM.

De eo quod scriptum est in Euangelio secundum
Matthæum, Agite poenitentiam, appropinquet
enim regnum cœlorum: Tractatus ac sermo primus.



EVANGELIVM au-
divimus, & in eo dominum
eos arguentē qui faciem cœ-
li voluit probare, & tempus
fidei regni cœlorum appro-
pinqnantis nesciunt inuenire.
Iudæis autē hoc dicebat,
sed etiā ad nos sermo perue-
nit. Dominus autē ipse Iesus
Christus Euangelij sui præ-
dicationem ita cepit, Agite poenitentiam, appropinquet enim regnum cœlorum. Et Ioannes Euangelista apostolus eius, similiter & Ioannes Baptista præcursor ipsius ita cepit, Agite poenitentiam, appropinquet enim regnum cœlorum. Et modo corripit eos dominus qui nolunt agere poenitentiam, appropinquantē regno cœlorum. Regnum cœlorum, sicut ipse ait, nō venit cum obseruatione: & iterum ipse ait, Regnum cœlorum, intra vos est. Prudenter ergo accipiat vnusquisq; monita præceptoris, vt nō perdat tempus misericordie saluatoris, quā modo impenditur quamdiu generi humano parcitur. Ad hoc enim parcitur homini vt conuertatur, & non sit qui damnatur. Viderit deus quando veniet finis seculi: Et tamen modo tempus fidei: Finis seculi vtrum hic aliquem nostrum inueniat nescio, & fortas se nō inueniet. Tempus em̄ cuiq; nostrū proximū est, quia mortales sumus. Inter casus ambulamus. Si vitrei essemus, minus casus timerem? Quid fragilius vase vitreo, & tamen seruatur & durat per seculū? Et si em̄ calus vitreo vase timetur, sene & ei & febris non timeat. Nos ergo fragiliores & infirmiores sumus, quia & casus omnes qui nō cessant in rebus humanis, fragilitate vtique nostra quotidie formidamus: & si ipsi casus non accedant, tempus ambulat, vitat homo istum, nūquid vitat exitum? Vitat quæ extrinsecus eueniunt, nunquid quod intus nascitur pellitur? Denique nunc lumbricos gignunt interiora, nunc morbus quilibet subito occupat: Postremo quantumvis homini parcat, nouissime senectus cum venerit, non est quo differatur. Proinde audiamus dominū in nobis ipsis, agamus quod præcepit. Videamus quis est ille aduersarius, de quo nos terruit, dicens, Si vadis cū aduersario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo, ne forte tradat te principi, & princeps ministro, & mitteris in carcerem, vnde non exies donec soluas nouissimum quadratē. Quis est iste aduersarius nisi diabolus? Iam liberati sumus ab illo. Quale precia pro nobis datum est, vt ab illo redimeremur? De quo dicit Apostolus de ipsa redemptione nostra, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis sue. Redempti sumus, diabolo renunciamus: Quomodo dabimus operam liberari ab illo, ne nos iterum captiuos faciat peccatores? Sed non est ipse aduersarius, de quo nos dominus commonet. Alio enim loco, alius Euangelista sic illud posuit, vt si vtraq; verba iungamus, & vtraq; verba sibi
Tomus decimus.

Euangeliorum duorum comparemus, aduersarium d
istum cito intelligamus. Ecce enim hic quid dixit? Cum vadis ad principem cū aduersario tuo, da operam in via liberari ab eo. Alius autem Euangelista hoc ipsum sic posuit, Esto cōsentiens aduersario tuo cito cum es cum illo in via. Cætera similia sunt: ne forte aduersarius tradat te iudici, iudex ministro, minister in carcerem. Ambo euangelistæ similiter hoc explicauerunt: vnus dixit, Da operam in via liberari ab illo; alter dixit, Cōsenti illi. Non enim poteris liberari ab illo, nisi ei consenseris. Vis liberari ab illo? cōsenti illi. Nunquid diabolus est cui debet consentire Christianus? Quæramus ergo istum aduersarium cui debemus consentire, ne tradat nos iudici, & iudex ministro. Quæramus illi, & consentiamus illi. Si peccas aduersarius tuus sermo dei est: vera tibi causa, Forsitā delectat te inebriari, dicit tibi, Noli. Delectat te spectare & nugari, ille dicit tibi, Noli. Delectat te adulterari, dicit tibi sermo dei, Noli. In quibuscunq; peccatis volueris facere voluntatem tuā, dicit tibi, Noli. Aduersarius est volūtatis tuæ. O quam bonus aduersarius, quam vtilis aduersarius, non quærit nostram volūtatem sed vtilitatem. Aduersarius est nobis, quādiu sumus & ipsi nobis. Quādiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem dei. Esto tibi amicus, & cōcordas cū illo. Non homicidium feceris, audi & cōcordasti. Non furtū facias, audi & cōcordasti. Nō saluum testimonium dicas, audi & cōcordasti. Nō concupisces vxorē proximi tui, audi & cōcordasti. Nō concupisces res proximi tui, audi & concordasti. In his oibus cū tuo isto aduersario concordasti, dic mihi quid perdidisti? Non solū nihil perdidisti, sed & teipsum qui perieras inuenisti. Via, vita ista est. Si cōcordauerimus cū illo, si consenserimus illi, finita est via, non timebimus iudicem, ministrum, carcerem. Quando finitur via, non omnibus vna hora finitur. Vnusquisq; habet horam, quādo finiat viam. Via, vita ista dicta est: finisti istam vitam, finisti viam. Ambulamus, & ipsum viuere accedere est. Nisi forte putatis, quia tempus accedit & nos stamus. Non potest fieri. Quomodo accedit tempus, accedimus & nos. Et non anni nobis accedunt, sed magis decedunt. Valde errant homines, quī dicunt, Puer iste adhuc minus lapit, accedunt illi anni, & prudens erit. Attēde quid dixisti, Accedunt dixisti, Ego ostendo quia decedunt, cum tu dicis, accedit: & audi quod facile probō, Putemus nos scisse annos ipsius ex quo natus est: verbi gratia, vt bene illi optemus, octoginta annos vidurus est, peruerturus est ad senectutē. Scribe octoginta annos. Vixit vnum annum: Quot habes in summa? Quot tenes? Octoginta. Deduc vni. Vixit decem, septuaginta restiterūt. Vixit viginti, sexaginta restiterūt. Certe accedebat. Quid est hoc? Veniunt vt abeat. Anni nostri veniunt, inquam, vt eant. Nō enim veniunt vt stent nobiscum, sed cum transeunt per nos, terunt nos, & minus minusq; valere nos faciūt. Talis est via in qua venimus. Quid facturi sumus cum aduersario illo, id est, cum sermone dei? Concorda cum illo: Nescitis enim quando via finiat. Cum via finita fuerit, iudex restat & minister & carcer, vt si seruaueris aduersario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro iudice inuenias patrem, pro ministro sœuo angelum tollentem in sinu. A brahæ, pro carcere paradysum, quā cito in via cuncta mutasti, quia tuo aduersario consensisti.

De eo quod scriptum est in Euangelio secundum eundem, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrē vestrum qui in cœlis est: & contra, A tendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: Sermo II.
a ij Solet

† als, no-
runt.

B
Matt. 4.

Luca. 17

Luca. 12

† als, ad-
uersari?
iam & c.
Col. 1.

Matt. 5

Luca. 12

Luca. 12

Luca. 12